

110 Mr.
Wf

Handwritten: *Ermlitz*

CAROLI HENRICI SINTENIS

Lycei Torgauensis Rectoris

CASTIGATIO CRITICA
ELEMENTORVM
BARBARIAE
BASEDOVIANAE.



~~~~~

LIPSIAE,

APVD FRID. GOTTH. JACOBÆER

1777.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is mirrored and mostly illegible due to fading and the texture of the paper. Some words are difficult to discern but appear to include "BASSE" and "DOY" in the lower portion.






## SPECIMEN PRIVS.

**B**onae et frugiferae sententiae violenta in pravam vim potestatemque perniciosam contortio si eius auctori est tribuenda, necesse est, vt criminis culpam, post obitum adhuc, sibi contrahat Spartanus ille, qui dixit: *Educatio est ars, bonum iuuenibus facile iucundumque reddendi.* Difficultas, et maxime ardua temporum ratio, quam vidit aetas auctoris huius dicti, permisisse non videtur, iuuenum institutionem tam facilem, tamque iucundam, et commoditati inseruientem esse, vt hodiernae huius pronuntiati interpretationi respondeat. Neminem enim praeterit, nisi qui historiae monumentorum, quibus ab effeminata mollitia alienissima Spartanorum viuendi ratio, a Xenophonte et Plutarcho consignata, legitur, egregie hospes fit, quanta seueritate, quantaque patientia, inde a tenerrima aetate, perferendis calamitatibus, iisque grauissimis, adfuefacta sit illorum iuuentus, ita, vt appareat, hanc sententiam non esse

A. 2

intelli-






intelligendam de addiscenda boni exercitatione, quae, apud Spartanos, nobis saltem, saepe inhumana et crudelis videtur, sed potius de celeri boni exercendi impetu et alacritate, quam, crebro et fatigante usu, tam diu augendam sublevandamque censebant, donec, quavis occasione, bonum, omnibus impedimentis et difficultatibus contemptis, facili negotio, magnaque cum voluptate, perficerent. Haec certe vera illius dicti vis est, mirifico Ciceronis testimonio illustranda, Quaeest. Tuscul. V, 27. „Pueri Spartiatae „non ingemiscunt verberum dolore laniati. „Adolescentium greges Lacedaemone vidimus „ipfi incredibili contentione certantes pugnis, „calcibus, unguibus, morsu denique, vt exanimarentur, priusquam se victos faterentur.“ Hac igitur interpretatione concessa, non est, cur ipsa sententia reiicienda, eiusque auctor iuventutis institutioni parum consuluisse videatur. Omnis enim ingenuae et liberalis educationis indoles est ea, vt liberi, inde a pueritia, frequentiori exercitatione, ad omne, quod honestatem vtilitatemque pariat, tam prompti paratique redantur, vt, usu subacti, per totam vitam facultate gaudeant, boni non tantum facillime eligendi, sed, id quod maximi est, lubentissime exercendi. Sed multi illorum, qui nostra aetate, nescio saepe, qua confidentia, vel quo afflatu impulsus, sibi sumunt, vt rebus scholarum prospiciant, fingendae iuventutis consilia dent, eam potestatem huic dicto, iniquissima et periculosissima



fima deprauatione inferunt, vt sibi aliisque suadeant, omnem bonarum artium literarumque institutionem et disciplinam, non pueris modo, sed iuuenibus etiam sic esse leuandam, vt ne minimae quidem difficultates illis superandae super sint, et vt iuuenes, liceat mihi, mentem istorum ita exprimere, quasi pulte nutriantur, quae dentibus non sit extenuanda atque conficienda, sed tantum ingurgitanda atque reforbenda. Ego certe non is sum, qui neget, omni opera omnique studio in id esse incumbendum, quo labores, cum ingenii voluntatisque emendatione necessario coniuncti, iuuenibus, ne, fastidio et fatietate fracti, a literis abalienentur, minuantur, vel remoneantur, et quilibet aequus rei scholasticae aestimator mecum consentit, eum demum optimum iuuentutis, in palaestra exercendae, auctorem suaforemque esse, qui, plurimis iisque molestissimis impedimentis et salebris sublati, tarditati languorique ingeniorum succurrat. Nunquam vero a partibus illorum stare potero, qui contendant, vel minimas, in discendo, molestias iuuenibus esse minuendas. Hae superandae sunt a iuuenibus ipsis, non remouendae a magistris. Quid, quaeso, discitur sine vlla opera? quae ars illiberalis et fordida percipitur sine vlla defatigatione? artis salutaris peritus, si suavioris saporis medicinae desunt, ope medicamentorum ingrati saporis, aegroto bonam valitudinem instaurare studet, remediorum vero gustus, gulam non titillans, superandus est ab ipso aegro-






to. ELECTORIS nostri *Serenissimi*, Optimi Sapientissimique Patris patriae, iussu curaque pie veneranda, ante paucos annos, praescripta iuuenum in scholis publicis instituendorum ratio, quae sane tantae salubritatis est, ut nemo tam obtulus ad omnem grati animi sensum sit, quin longe fructuosissimam agnoscat, agnitamque pro praestantia aestimet, eiusdem est conditionis, ut faciliorem quidem, sanio remque disciplinae modum scholarum magistris iniungat, sed non eo facilitatis et indulgentiae progreditur, ut discipulos oscitantes, ut ita loquar, faciat spectatores. Artes ingenuae, ob praestantiam, iam per se dignae sunt, quibus assiduo labore percipiendis operam det iuuenis, et, nisi sordidas difficultatibus superare putantur, non solum dignitati illarum permultum detrahitur, sed omnes etiam sutrinae et ferrariae officinae alumni, pice et fumo obducti, breui erunt doctae Mineruae comites. Omnes porro, in discendo, si remouentur salebrae, ita, ut vel minimae euanescant, fieri non potest, ut iuuenes diligente et exquisita institutione imbuantur. Ea enim generosiorum iuuenum non minus, quam adultioris aetatis hominum animi indoles est, ut, quo maiori cum defatigatione aliquid perceperint, eo tenaciori memoriae mandent, maiorique cognitionis augendae cupiditate incendantur. Fac denique, iuuenibus omnes, et vel minimas, in discendo, infringi molestias, quos progressus facient in literarum curriculo, si, schola relicta,  
sine






sine duce, qui operae leuandae studeat, in locos spissos atque arduos inciderint? in illorum consuetudinem non inducti, quid stupebunt! quae tarditate auersabuntur omnia, quae ignorent, quorumque cognitio aliqua cum animi intentione sit comparanda! Luctuosissimum vero funestissimumque aetatis nostrae est, nos, quamquam omnes elegantiores literae in dies lactiora incrementa ceperint, ut insignem pulcritudinem praese ferant, animo ingratisimo de illarum interitu, et reducenda barbaria laborare. Negari quidem non potest, pristinis iam temporibus querelam de reuocata barbaria saepissime grauissimeque esse motam, *Casaubono* praesertim in regina praefationum ad *Polybium*, et *Iosepho Scaligero* in epistolis ad *Labbaeum* et *Casellium*; sed nullo tempore tantopere timendum fuit, ne elegantiores literae, magis magisque lapsae, praecipites ire inciperent, quam hac nostra aetate. Nunquam enim (dicendum, quod res est,) tot insurrexerunt Vindices Statoresque barbariae, qui omnem operam omneque studium ad id tantum conferrent, ut bonas literas, per se iam fugientes, e sedibus suis exsules proscriberent, quid? quod, e societate humana, omni vi, et quasi furca, expellerent. Quod quo facilius peragant, in lucem conspectumque emittunt libros, quibus, abrogata saniori, et a doctissimis viris approbata, iuuenum in scholis formandorum ratione, longe faciliorem, ut fabulantur, suadeant, qua literae non tam tepescere et frigere incipiant, sed





succedente tempore penitus exstinguantur. Pri-  
 mum certe inter istos locum sibi vindicare voluit  
*Basedouius*, qui opere elementari, ut ipse voca-  
 vit, longe faciliorem commodioremque excogi-  
 tavit iuventutis artibus humanioribus imbuendae  
 modum, quo nostram, vel in emendatoribus  
 scholis, huc usque retentam disciplinam, diffici-  
 lem, inutilem, nugatoriam, et, ut multis gemit-  
 tibus conqueritur, humanitati saeculi minus ac-  
 commodatam, quasi fustuario exigeret atque pro-  
 pelleret. Bone Deus, quanta coecitate labora-  
 runt omnes ante *Basedouium* illum scholarum  
 magistri, et quanta adhuc laborant! nisi hic —  
 sed bonis literis vindicandis, non iniuriis infe-  
 rendis, studebo. Ipse quidem multas aliis inty-  
 lit, legas modo scriptum eius latinum, in quo  
 de coepto *Deßauiae - Anhaltinae Philanthropio*  
 egit, (ad quem libellum praecipue respexi, hinc  
 omnes huius prolusionis loci, quibus *Basedouii*  
 mens sensusque latine exprimitur, latinitate huius  
 scripti *Basedouiani* continentur,) et videbis non  
 solum eius latine scribendi genus, sed veram  
 etiam animi eius indolem, vel summum, alios  
 offendendi, seque insolentissima arrogantia ef-  
 ferendi studium, ego tamen omni, qua fieri,  
 non debet, sed potest, modestia cum illo agam,  
 sed ita, ut veritati nil derogem. Quamuis vero  
 cum aduersario, tantum nomen, promissis in-  
 gentibus, consecuto, non par videatur conflicto,  
 tamen prouincia mihi imposta arbitris aequis fa-  
 cile excusabit pro bonis literis pugnandi audaci-  
 am,






am, et, quod ingenio decriit, veritatis tuendae ardor compensabit.

Totum opus, quod ab ipso dicitur elementare, quodque in commentariis publicis varia tulit eruditorum suffragia, si sine vlllo partium studio, simul vero ea, qua instituendae iuuentutis negotium vnicuique intelligenti huius rei iudici dignum videtur, animi attentione perlegitur, luculenter apparet, animum certe, Deum testor, non ad id appulisse *Basedouium*, vt subsidia ostenderet, quibus disciplinae suae alumnis, accurata Religionis, linguarum doctarum, doctrinarumque cognitione imbutis, sensus instillaret, qui maximam vim, maximaque incitamenta haberent, ad vitam integre, pie, sobrie, et ad commodum publicum, idque verum, fructuose transigendam. Inde duo in vniuersum contra hoc Opus elementare mihi monenda videntur, quae vero ipse leuissimi fortasse censebit ponderis. Alterum est, *Basedouium* docere elementa *incredulitatis*, alterum, ipsum reuocare *elementa barbariae*. Ad priorem admonitionem quod attinet, de illa in praesenti agere, neque constitui, neque per se est ea, quam multis, iisque sollicite collectis, rationibus probandam putem. Pauca tamen, ne iniuriam intulisse videar, dicenda sunt. *Religio*, qua nihil sanctius, nihil carius vnicuique inuenitur, omnium prima est, cuius praeceptis, a tenerrima inde aetate, liberi vt omni cura omnique solertia imbuantur, assidue






assidue laborant omnes parentes, quibus lux Sa-  
 pientiae diuinae adfullerit, quique ingenuam et  
 liberalem educationem liberis non denegent.  
 Quid, quaeso, hi liberi, optima, vel saltem  
 longe alia, Religionis disciplina nutriti, si *Bas-*  
*sedouii* fidei erunt traditi, qui in permultis, iis-  
 que grauissimis, Religionis praeceptis, a purio-  
 ris doctrinae amantium institutione longe mul-  
 tumque recedit, quid, inquam, de pristinis ma-  
 gistris, quid de ipsa Religione sentient? iudican-  
 di facultate nil pollent. Omnia igitur, quae  
 ipsis a nouo magistro, qui maximam prae se fert  
 eruditionis, optimique praeceptoris famam, pro-  
 ferantur, arrectis et intentis auribus, praecon-  
 ceptae opinionis vi abrepti, non tam audiunt,  
 quam auscultant, et quid inde? suspicione in pri-  
 stinos magistros, eorumque docendae Religionis  
 rationem, in ipsis excitata, arrogantes et effrena-  
 ti reiiciunt, quicquid saniori disciplina arreptum  
 tenent. Sed instat *Basedouius*; ego non trado  
*Religionem, oraculis diuinis reuelatam, sed, con-*  
*tentus Dei cognitione, quae ex sollertissima natu-*  
*rae contemplatione hauritur, quaeque omnibus ec-*  
*clesiis (melius: unicuique coetui sacro) vel proban-*  
*da, vel nulli reprobanda* (nequaquam vero satis  
 idonea) videtur, illam relinquam iis, qui Religio-  
 nis sacrorum (tales etiam sunt custodes templo-  
 rum, accuratius igitur: rerum diuinarum aliis  
 tradendarum) curam gerunt. At vero Religio-  
 nis institutio rationis finibus nequaquam est con-  
 cludenda, quia praesens felicitas finis vitae hu-  
 manae



manae non est, beatitatis autem futurae praesidia ratio non capit. ut nihil dicam de ipsa *Basedorii*, magistri, viuendi ratione, qua omnino nullam in villo coetu sacro Religionem publice proficitur, quaeque per se hanc vim in iuuenum animis habebit, ut ipsi etiam increduli omnem Religionis sanctissimae notionem in animis penitus euellant. Quae denique, ne dicam *fraudulenta*, *miseranda* tamen est disciplina scholastica, qua parentes, pretio *nonaginta aureorum Hollandicorum*, (haec enim est merces, quam *Basedouius*, exceptis morborum sumptibus, arte fallatoria, gladiatoria, equitationis, musica, lingua Anglica, Italica, et exceptis octo aureis Hollandicis pro initiatione, ab vnoquoque. quotannis, pro data opera postulat, maiorem adhuc pensionem, ut ipse scribit, pro loci, diuitiarum, et ordinis ratione, liberalius ipsi offerendam, expectans,) *ne mediocrem quidem* Religionis Christianae institutionem liberis procurare possunt! Sic Religionem prudentum saeculi discunt hodie. Probe vero. Haec miscet factiones omnes, sublatis doctrinis palmariis, per speciem varietatis cogitandi, salua pietate, quasi rectus Dei cultus sine recto de numine sensu praestetur.

Sed iam paullo copiosior in hoc loco tractando fui, quam huius speciminis finis permittere videtur. Memor igitur propositi, accedo ad alterum, quod contra *Basedouii* Opus elementare monui, ad comprobanda elementa bariae





bariae ab ipso reuocatae. Nihil hic tanta ob-  
 securitate laborare puto, vt explicandae forman-  
 daeque notioni prius consulam, quam rationi-  
 bus. Quilibet, cum *Basedouium* reuocatae bar-  
 bariae reum sisto, temporum illorum, eorum-  
 que calamitosissimorum memoriam inflaurat,  
 quibus, prostratis atque sepultis literis humanio-  
 ribus, tanta mentis caligine premebantur omnes,  
 vt non modo sacra essent contaminata foeda su-  
 perscriptione, sed sapientiae etiam humanae partes  
 verborum barbarorum immensa mole obrutae,  
 atque, praeter formulam precandi, a Christo  
 institutam, nemo doctorum ex prisco Latio per-  
 ciperet quidquam. Statim igitur ad ipsas rationes  
 progredior, quarum ope *Basedouium* huius bar-  
 bariae restitutae euidentissime conuinci credo.  
 Duplicis vero sunt formae, aliae e linguarum do-  
 ctarum negligentia, aliae ex inconsulta, frigida,  
 et ieiuna doctrinarum pertractatione desumtae.  
 Nimis angustis huius prolusionis finibus inclusus,  
 in praesenti tantum de illis agere constitui, de  
 his alio tempore dicturus.


Probo igitur *Basedouii* barbariam primo e  
 neglectu linguae graecae. Omnium intelligen-  
 tiorum et aequiorum in pretio rebus, commu-  
 nem vilitatem attingentibus, ponendo, vna et  
 consentiens vox est, omnes, qui literis colendis  
 se consecrarint, lectione familiari Graecorum  
 optima sollertia esse fingendos, ita, vt, huius  
 enunciationis vberiori comprobationi si studeas,  
 laborem certe absonum et superuacuum suscipias.

Cicero



*Cicero Atticum* rogat, vt, si *Cato* eruditius de senectute disputare videatur, quam consueuerit ipse in suis libris, Graecis litteris attribuat, quarum perstudiosus fuerit in senectute. Vniuersi Graeci, si cum vniuersis Romanis de ingenii praestantia certent, principatum ad illos deferendum, victoriamque illorum haud dubiam esse, apparet. Sed quemadmodum, inquit *Summe Venerabilis Ernesti*, doctissimus ingeniorum aestimator, in profligato hostium exercitu sunt, qui in victore exercitu vix animi fortitudine et virtute pares habeant, sic, quamuis Romani Graecis longe multumque inferiores ponuntur, quidam tamen Romanorum cum principibus Graecorum comparari possunt. Hoc sane aequissimum est, in comparandis Graecis et Romanis, iudicium, et mirum in modum placet *Immortalis ille*, cum pergit: „si Graeci Latinos vincunt, magistri discipulos superant, si Latini victores discedunt, discipuli magistris superiores sunt. Sed, vt parentes nemini plus fauent, quam filiis, et ab his facile ferunt, se gloria superari, filii contra nemini libentius cedunt, quam parentibus, sic magister: vt quisque est humanior, ita magis non modo fert, sed etiam optat, a discipulo superari, eiusque gloriam prope ducit suam, discipulus autem, si gratus esse velit, non recuset, praeceptorem sibi praeponi.“ Ingeniosa hac comparatione, (quam eo consilio elegi, vt, tanti Viri auctoritate fretus, veniam impetrarem, si neque delicato gustui, neque moroso fastidio, gratificatus viderer,)





rer,) nisi fallor, extra omnem dubitationem ponitur, iuvenes, si optimis antiquitatis monumentis, iisque solis, sint formandi, ut tamen sunt, quia, quanto minus quisque ab iis similitudine abesse reperitur, tanto propius ad fastigium ascendisse putandus est, Graecorum non minus, quam Romanorum, scriptis mature esse poliendos. Quam magnifice vero *Basedouius* de literis graecis, earumque et utilitate, et necessitate, iudicat? illas in indice lectionum, in Philanthropio tractandarum, plane omissas desideras, licet ipse, sed pro more suo mordaciter loquendi, fateatur, graecam et hebraicam linguam addiscendam esse illis, *qui sudent examine (fortasse opera) explorandi, utrum ad coelites via satis sibi sit nota, eandem ut ostendant ignorantibus.* Plus proficitur, leues indignitates, talis maxime viri, tacite contemnendo, hinc, quia modestiae, ut promisi, adhuc consulo, inoeste respondeo: sacrarum doctrinarum studio operam daturi si anno demum duodevicesimo (nam *Basedouius* inuitat discipulos inde ab anno VI. usque ad XVIII.) Grammaticae graecae elementorum cognitionem sibi comparant, verendum est, Professoribus Academiae, ne *pueri* hi, circa mentum plumati, in subselliis suis, tabulas nominum et verborum graecorum mussitantes et balbutientes, repetant, legum vero iurisque studiosi vocabulum graecum, piscois, aut edulii peregrinum putabunt, et salutari arti tempus vitamque consecrantes, omni per triennium academicum (id quod iam

iam



iam dudum in prouerbum abiit) adhibita follertia, vix iuuenem superabunt e tonstrina, vel officina medicamentorum. Instat *Basedouius*, vel his laesus: *ego exspecto iuuenes natiuitate splendor*, (barbare, *splendorum natalium*) qui linguae graecae cognitione et intelligentia non opus habent (barbare, *indigent*). Legat vero, vir adeo delicatus, si placet, epistolam *Liberi Baronis a Boineburg*, scriptam ad *Conringium*, in qua valde conqueritur de eo, quod ipse, Electoris Moguntini intimorum consiliorum particeps, *Aristotelem*, optimum artis politicae magistrum, legere non possit, simul vero optat, vt magister, cuius disciplinae in iuuentute commissus, cuiusque persuasione a lectione Graecorum retentus fuerit, adhuc esset in viuis, *illi vt praemium daret*. *Sapienti sat!* (sic saepe exclamare solet *Basedouius*.) Quid igitur est, quod de *Basedouio* speremus? inde ab aliquo tempore graecarum literarum studium inter iuuenes iam adeo friget, vt quia omnem literarum colendarum rationem pane lucrando metiuntur, quasi contemptum iaceat, *Basedouius* vero, faciliori institutionis ratione, inutile, nugatorium, et ad consequendam eruditionis gloriam ne minimum quidem conferens, fingit atque illudit. Sic imitatur morem istorum, qui, quod non didicerunt, contemnunt ac ludificantur. Cuius ludibrii poenas dant, quoties vocem graecam conantur exponere. Huius ne literas quidem recte scribunt, ac doctioribus ludibrium tenent. Quod si de  
Graecis





Graecis tam ieiune sentit iste, Hebraea defendere nolo, metuens, ne, quod olim vsu venit, magiae me accuset.

Sed videamus, quam linguae latinae, cui soli eruditionis laudem vindicandam censet, ad discendae rationem suadeat. Audiamus ipsum, sic latine loquentem: *praeter vernaculam linguarum omnium utilissima latina est, non solum literarum studiosis, sed unicuique etiam liberaliter educando, si quidem, id quod res est, fieri queat, ut sine ingeniorum cruciatu dimidii, vel unius anni dispendio addiscatur. Quae autem huc usque fuit scholarum ratio, quinquennio cum summa animorum corruptione opus est, si neque minimum, neque maximum tempus dicas, rebus cognoscendis adimendum, atque huic uni attribuendum linguae. Neque tamen discipulorum quartus quisque ad tantum huius linguae usum peruenit, ut sine molestia et taedio omne genus libros (Soloecismus, librorum) legere valeat (poetice, possit) — Potest autem haec eadem lingua, qua de quibusvis rebus scripsere periti, in discipulorum et praceptorum qualicumque commercio usurpari, — summas semestris temporis spatium a praceptoribus in iocos et ludos (latinius per iocum ludumque) latine loquentium, atque in confabulationes, quibus non rerum, sed verborum cognitio praecipue augeatur, ad erudiendos tirones aduenas consumi, habebitis (habebis, ob antecedens summas) sane tales, quibuscum deinde possitis (possis) et in conuiuio, et*

iii



*in scientiarum, (artium, nam scientiam Latini tantum habent vnam) disciplina latinis verbis quam utilissime agere. Qua continuata ratione rebus studendo, vocabula autem duntaxat rerum causa usurpando, tirones tardius citius eo prouentur, ut scripta et dicta, modo non omnia, promte intelligant, neque non (delendum est non) segniter ipsi latine loquantur et scribant, non emendatissime quidem, sed ea tamen a barbarismis et soloecismis puritate (barbare, munditia) qua in vernaculis utuntur mercatores, in bene loquentium coetu versantes, et libris bonis legendis nihil dantes operae. Quos quemadmodum, si opus est, facile ad emendatissimum loquendi et scribendi genus semestri exercitatione perducet bonus praeceptor, grammaticae vernaculae peritissimus, ita huiusmodi discipulis, linguam latinam usu edoctis, tantundem eodem tempore contingere potest. — —*


*Haec tanta pollicitans seminarium nostrum —*

*O sapienti sat, mi Bafedoui, taceas! examine-  
 mus hanc multo faciliorem iuuenum ad linguae  
 latinae consuetudinem familiaritatemque ducen-  
 dorum rationem, ut appareat, quam splendida,  
 quamque illustria, de barbaria reuocanda, Phil-  
 anthropii Dessauensis sint merita. Latina nitun-  
 tur graecis. Ipsa lingua Romana, cum Graecia  
 in potestatem Romanorum venerat, non solum  
 maxima incrementa cepit, sed omnem etiam lin-  
 guae graecae venustatem, iure victoriae, quo victi  
 omnia sunt victoris, sic sibi vindicauit, ut, qui illam  
 callet, is solus exquisita linguae latinae cognitione*

*B*

*gloriari*






gloriari possit. Quid? quod, Graecia deuicta, non modo ingenti copia uocum, ornamentisque plurimis ac maximis, Romani auxerunt linguam uernaculam, sed, Graecorum etiam eloquentia, poesi, omnique ingenii gloria excitati, studiosissimi fuerunt, ut, quantum antea Graecos amore rei militaris et publicae superassent, tantum nunc ingenio uincerent. Omnia igitur e Graecis in linguam transfulerunt patriae, in discendis literarum humaniorum praeceptis usi sunt magistris graecis, illisque exercitatione et imitatione exprimendis studuerunt. *Lucius Crassus* quidem, ad quem, ante *Ciceronis* aetatem, omnes eloquentiae Romanae principatum detulerunt, non solum fatetur, se Graecis, quicquid in dicendo possit, debere, sed adolescentes etiam hortatur, ut ab his solis eloquentiam petant, et *Horatius*, *Pindari* imitator, (ut *Blondellus*, facta comparatione, ostendit,) uanum *Homerum* carminis epici exemplar imitatione dignissimum proponit, licet *Virgilii* nominis et gloriae studiosissimus. Linguam igitur graecam cum plane inutilem, et linguae eruditae appellatione indignam censeat *Basedonius*, ipse quis linguae latinae magister, iam hac ex ratione, tibi uidetur? nonne opus est, ut in iuste aestimanda effigie, quae ad exemplar dicatur expressa, comparationem exemplaris cum ipsa imagine instituas? num Romani omnia, quae in libris Graecorum, ingenii culturae inseruientia, sint deprehendenda, tanta cura tantaque auaritia conquisiuerunt, et quasi

corra,



corraferunt, vt plane nihil nobis ex illis auferen-  
 dum addiscendumque relinquerent? Quae porro  
 incerta, intuta, irrita, inepta, neque vniquam  
 ab intelligentioribus approbanda linguae latinae  
 percipiendae ratio, quam sine vlllo Grammaticae  
 adiumento instituendam suadeat *Basedouius!*  
 Grammaticam, vt ingeniose loquitur, *in tene-*  
*riorum scholis horridissimum vocat monstrum, re-*  
*legandum in iuuenum musaea (accuratius musca)*  
*adultiorum, vbi lingua Latii tam cognita est,*  
*quam Misnica in foro Hamburgensi dialectus.* Id  
 vt de accuratiori, vberiori, perfectiorique Gram-  
 maticae, eiusque absolutissimae, cognitione ac-  
 quirenda, iuuenibus adultioribus non solum con-  
 cedam, sed etiam suadeam, ita de fundamentis  
 Grammaticae, pueris, sine vlla exceptione, sim-  
 pliciterque necessariis, vere dici, nego. Quae  
 ista iniquitas *Orbiliorum*, baculis et virgis  
 Grammaticam inculcantium, imprudentia et ie-  
 iunitate ipsam Grammaticae disciplinam metiri,  
 et, qui illis debebatur contentus, ad hunc Gram-  
 maticam vocare! Ipse *Basedouius de summa ani-*  
*morum corruptione, et ingeniorum cruciatu,* quae  
 omnia in scholis nostris obtineant, et dominan-  
 tur, maximi amoris in iuuentutem simulatione,  
 antea conquestus est, sed, quaeso, quae et  
 quanta animorum corruptela, quis et quantus  
 ingeniorum cruciatus, cum pueri, omni funda-  
 mento, omnique norma et regula, eaque pri-  
 maria, destituti, ex sola consuetudine, in quam  
 latinam discere coguntur! sexcenties sunt corri-  
 gendi,





gendi, quo timor errandi necessario augetur, linguae discendae studium et ardor sensim exstinguitur, et firma et exquisita linguae latinae cognitio, quae, si in pueritia fuerit neglecta, in adolescentia raro compensatur, plane negligitur, quia *Basedouio* interrogato a puero: *quare sic dicam?* nihil amplius restat, quam vt, *sic dicas*, respondeat, *bone fili, pro auctoritate mea!* Grammaticae potius peritos, vel *Grammatistas*, fingat *Philanthropium*, quam *volucres praefecturae tabellarios*, perillustri illo artificio, quo discipulos se eo perducturum promisit *Basedouius*, vt per diem, sine molestia, aliquot milliarium germanicorum iter conficiant. Quid vero prodest, inquit *Basedouius*, tam sollicita linguae latinae cognitio, vt omnium fere syllabarum reddenda sit ratio? At vero, mi *Basedoui*, si tu rationem solam puero, in rebus sacris et diuinis, consulendam suades, quae tamen semper causas perquirat, bona fide rogo, illi vt permittas, eam quoque in lingua latina sequi! Hic sunt ingenia discernenda, altiora plura percipiant, mediocria pauciora, ambo tamen fundamenta ponant, quibus intermissis, vt de Mechanismo taceam, aedificium non potest non ruere. *Sapienti sat!* Negare quidem postremo videtur *Basedouius*, Grammaticam a se negligi, sed videtur tantum, et statim addit, permultos, latina lingua loquentes, Grammaticae cognitione non minus carere posse, quam multi linguae vernaculae elegantiae rudes atque expertes sint. *Egregie sane!* ponderes,



deres, quaeſo, quid complectatur *Bafedouius*: quia permulti, quid? quod, innumeri, humillimae certe fortis homines, linguae patriae elegantia turpiter neglecta, in vſu vulgari loquuntur, hinc ſequitur, vt linguae latinae inſtitutione ſollicita nutriendi Grammaticae intelligentia non indigeant. Eiuſmodi quid me vnquam legere non memini.

Sed vbi ſunt auctores claſſici? legi, et iterum iterumque legi, nihil vero de illis! Hic ſane parum abeſt, quin promiſſam modeſtiam, huc vſque feliciter obſeruatam, innocens laedam, ſed me celeriter reficiam! Auctorum claſſicorum in fingendis formandisque pueris et iuuenibus praeſtantiam coaceruatis, iisque grauiffimis, argumentis doctiſſimi iam dudum comprobarunt, de quibus ſi quis adhuc dubitet, mens illi ſane ſit eadem, quae illi eſſe credebatur, cui Graeci acclamabant: *πλέυσειας εἰς τὴν Μασσαλίαν*. Optime et ſapientiffime ſic eſt, iam ante aliquot ſaecula, conſtitutum, vt iuuenilis non ſolum, ſed puerilis etiam diſciplina maxime contineretur librorum veterum, Graecorum Latinorumque, interpretatione, nec quiſquam rei ſcholaeſticae peritior inde ab illo tempore dubitat, quin horum lectione aſſidua aditus hominibus fiat ad ſapientiam, et ad bene dicendi ſcribendique intelligentiam. Quis enim nescit, barbariam, ſuperſtitionem, multasque vitae humanae corruptelas e ſocietate humana fugiſſe proſcriptas, e quo tempore lectio

B 3

veterum




veterum sit instituta? Quid igitur est, quod sibi proposuerit *Basedouius*, nili stupendam istam barbariam, infaustamque humanitatis infantiam, faciliori, sic dicta, disciplina, reuocandam censeat? ipse, (quod tamen saluo tanti viri honore dictum velim,) neque legit, neque intelligit auctores classicos, quod horrenda eius latine scribendi imperitia, in opprobrium, satis superque comprobatur, hinc maligne pueris et iuuenibus viam ad commune quasi eruditionis aerarium obstruit atque intercludit. Priuat illos summa perfidia, quae plane nihil habet excusationis, et sine omni antiquitati elegantissimae debita reuerentia, priuat, inquam, illos vno, eoque humano, emendandae et amplificandae cognitionis subsidio, ad quam lectio auctorum classicorum, tam ratione ipsarum vetustatis linguarum, quam rerum in illis obuiarum, maximam sane vim habet. Supprimit, quia veteres nobilitate simplicitatis, et ingenii, et morum, pulcritudini naturae quam proxime accessisse putandi sunt, omnem venustatis, urbanitatis, suauitatisque sensum atque saporem, quo suppresso, maxime corruptus et deprauatus nascitur in agendo, dicendo, et scribendo impetus. Tenebris quasi et caligine inuoluit res gestas antiquitatis, ut neque per se cognoscantur, neque recentiorum scriptorum, in comparandis et emendandis historicis antiquis, cura et sollertia in commune commodum emolumentumque conferatur. Defleat in viam spissam, asperam, desertam, et incultam



cultam studium Philosophiae, quod tunc temporis demum, cum singulorum argumentorum cognitionem, studiis humanitatis limatam, iam acquisueris, summa cum voluptate, ordine cohaerente, et quasi compacto, colitur. Quantum detrimenti, neglectis auctoribus classicis, inferitur Theologo, qui illorum lectione ad explicanda et vindicanda formatur oracula diuina? quam infestus est legum iurisque studiosis, qui omnem iuris intelligentiam a linguis priscis, ab historia, et antiquitate Romana ducunt, quorumque nemo, sine horum adiumentorum scientia Juris Civilis libros legere potest? quam male denique consulit artis salutaris studiosis, qui plurimum ornamenti et praesidii, ad artem suam, in auctoribus classicis, Graecis praesertim, positum putant, quique ad excellentem artis suae scientiam, sine magno humanitatis apparatu, se pervenire, negant? Saluberrimum sane barbariae reuocandae remedium adhibet *Basedouius*, non alienus a consiliis *Juliani*, a quo, cum lege cavisset, ne Christianorum liberi interpretes auctorum classicorum audirent, pestem Christianis parari, crediderunt sanctissimi Patres.

At vero non est, cur *Basedouium* iniquitatis in auctores classicos accusem! en, breui, ex promissis, *distribuet minores libellos scholasticos, qui contineant breuiaria, ut loquitur, ex auctoribus classicis excerpta,* (qualia iam conscripsit ex Erasmo, Horatio, et Ouidio,) *quorum ope redeat in iura sua communis eruditorum Europaeorum,*





orum, immo totius honestioris ordinis, lingua Romana. Ecce igitur nouas *Chrestomathias!* sed, bone vir, talis librorum *farrago* prudentioribus iam dudum commiserationi et fastidio fuit. Quid enim praestant hi libri, siue *Chrestomathias*, siue *Breuiaria* nominas? dilacerant et dilaniant auctores in frustra minuta, colligunt, centonum instar, ex optime cohaerente, et contexta serie, partes disruptas, continent pensa, a recentioris aetatis scriptore subinde inserta, quae scatent saepe vitiis et erroribus, praeter linguae praecepta, elegantiam, venustatemque commissis, omittunt tot, eosque egregios locos, quia scriptor talis libelli, quae ipsi ingrata et inutilia sint visa, ea omnibus hominibus vel displicere, vel postponenda videri credit, impediunt denique, quo minus disciplinae alumni integrum sentiendi dicendique auctoris ordinem perspiciant, et venustatem, toti loco intexam, mente sensuque percipiant, vt taceam, sic ali pigritiam ac leuitatem, nihil, data opera, tractandi. Quodsi *Basedouius* auctores classicos pueris et iuuenibus instituendis inseruire putat, cur Breuiariis, ex illis conficiendis, operam dat? cur mutilat illos? cur resecando vexat illos? cur barbara et maxime horrida latinitate scripta illorum, multo leniora et suauiora mutando et addendo, obruere, illorumque aures, si in vitam reuocari possint, obtundere et perfricare vult? cur denique teneram iuuentutem ab intima et plena illorum familiaritate, ad quam facili-

ores



ores magistri aditum potius parant, quam intercludunt, durus, morosus, et inhumanus cohibet atque retinet?

Duo sunt, quae magnus iste vir ad defendenda Breuiaria sua protulit. Alterum est, non optime consuli iuuenum commodis, auctores classici si explicentur integri, alterum, suis Chrestomathiis, praeter reliquas, praecipuam concedendam esse praestantiam. Prius exinde comprobare studet, quia Viri illi suae aetati, nationi, et religioni (*quae vero Basedouio religio?*) nequaquam nostris temporibus inseruierint, et quia multa impura et obscena, quae aures honestiores fugerent, tradiderint. Rationis prioris sensus fortasse hic est, vt neget, omnes auctorum classicorum narrationes, illorum in describendis bellis, moribus, luxuria saepe et petulantia diffusis, aliisque, vbertatem et sententias, pro temporum nostrorum ratione, tanti esse pretii, tantaeque fertilitatis, vt lectu scituque dignae videantur. At vero aurea haec antiquitatis monumenta non solum ob res, quae in illis sunt obviae, leguntur, sed vt linguae etiam cognoscatur elegantiae, vrbauitas, ornatus atque copia. Res deinde, licet non semper proxime, remotiori tamen ratione, ad nostram aetatem accommodari et transferri possunt. Quare *Julium Caesarem* in deliciis habuit *Eugenius*? quare omnes, qui aliquid iudicare possunt, *Tacitum*, prudentiae civilis optimum dicunt magistrum? si denique






que res, ad praesentem temporis et saporis conditionem proxime spectantes, semper desideras, *Basedonium* tibi eligas auctorem classicum, sed ohe! qui *Bauium* non odit, amet tua carmina, *Maeni*! Sordida tamen petulantia et inhonesta tradunt? audio, sed legantur, magister, turpitudine aucta, pudicitiam excitat. Ipse *Basedonius* in opere elementari modum conceptionis humanae liberis exponi suadet, et, ut apparet, quam parum sibi constaret, nonnulla ex his lubricis, in Breuiariis suis, eo consilio retinuit, ut praecepta morum, exemplis collustrata, ex auctoribus classicis tractari possent. Absonae igitur, et friuolae rationes, quas profert; et qui sibi ipse repugnat, de eo, quid censeas, facile coniiicio. Sed miram vrget Chrestomathiarum suarum praestantiam, quae tanta sit, ut reliquas omnes longo post se relinquant interuallo. Hanc mihi videat *Argus*! scitent iisdem vitiis, quae omnibus Chrestomathiis sunt communia. Ipse enim dicit, se mutasse verba auctorum, superuacanea omisisse, ad refarciendam seriem disruptam, noua intexuisse, quid? quod, ipse Breuiariis suis auctoritatem denegat, ut nihil de auctorum, non modo aetate, sed etiam animi indole, et forma orationis, diuersorum, pestifera permixtione dicam, quae tamen, quicquid dicat *Basedonius*, *νομισμὸν* parit, et tunc temporis demum est permittenda, cum optimorum et similibus lectione et imitatione iuuenis satis erit confirmatus. *Quid igitur dignum tanto tulit*



lit hic promissor hiatu? ὠδινεὺς ἕξος, εἶρα μὲν ἀπέτεξε. Videas vero, VI. millia aureorum Hollandicorum, (hi enim sunt nummi *Basedoviani*) pro conficiendo Opere elementari, si fabula vera est, quam suaves, quamque incantantes sint illecebrae! quid *Basedovius* in Breuiariis excerptis praestet, iam constat e breuiario librorum sacrorum, maxime foederis prioris. *Sapienti sat.*

Quicquid vero dixeris, omnia, quae contra *Basedovii Philanthropium* proferantur, falsissima et iniustissima sunt, quid? quod, *calumniator* esto! Audias modo eius discipulos, *non segniter latine loquentes, eapuritatem*, (munditia) *qua in vernaculis utuntur mercatores, in bene loquentium coetu versantes, et libris bonis legendis non nihil dantes operae.* Inanis ostentatio! omnia magnificentius iactata, quam vera, digna, quae irrideantur! quis prudentiorum cupit linguam latinam ad usum vitae communis et quotidianae redactam? quis sapientiorum credit, bonis literis, si pueri et iuvenes *Basedoviani*, hi mercatores latini, de omnibus, in vita humana occurrentibus, latine loquendi facultate polleant, multum prospici? quis hac exercitatione integritatem linguae latinae, eamque incorruptam, pueris et iuuenibus commendari posse, vnquam somnauit? quid prodest, pueros et iuuenes omnia herbarum, plantarum, ciborum, piscium, auium,





auium, ferarum, arborum, florum et lapidum nomina nosse? quid commodi affert, si de omnibus artibus illiberalibus et sordidis, earumque instrumentis, latine differere didicerint? scripturi aliquando de iis, legunt *Vitruuium, Plinium, Catonem, Varronem, Columellam, Palladium, Gratium Faliscum, Oppianum, Nemesianum, Calpurnium*, aliosque, vel librum de vocum significationibus consulunt, cui soli vsui Lexica, vt dicuntur, inseruire videntur. Ego certe non is sum, qui vituperet cum iuuenibus latine loquendi exercitationem. Eximium fane emolumentum affert, et maximum est incitamentum. Hoc vero nego, latinam linguam loquendo esse addiscendam, semperque in sermonibus, cum discipulis instituendis, adhibendam, et, ne obstinatus et pertinax videar, rationes, nonnullas saltem, indicare liceat. Perpauci sunt vel elegantissime et venustissime lingua peregrina scribentium, qui tantam sibi acquisuerint facultatem, vt pulcre et promte mentem, illa loquentes, exprimerent. Ipsa porro lingua peregrina, loquendo, nunquam diligenter et accurate percipitur. Obscurae enim potius, quam clare nascuntur notiones, et exquisita linguae peregrinae intelligentia obseruationibus, Grammaticam, propriam dicendi formarum rationem, et linguae indolem spectantibus, est comparanda. Sed vt huius ingenii linguae peregrinae, sedulo tamen inuestigandi, iactu.



iacturam omittam, ipsa lingua patriae corrupitur. His rationibus tantum perspicaciae, tantumque roboris inesse credo, ut cuiusvis linguarum, doctarum praecipue, humanitatisque amantissimi assensum mihi pollicear. Quanta vero, quamque egregia sit *Basedouii* latine loquendi peritia, ex ipsius latine scribendi ratione satis luculenter apparet. Nemo enim tam obtusus ad omnem elegantiae venustatisque sensum est, quin, qui in scribendo, praeter reliquos, barbaria excellat, eum etiam in loquendo, eodem artificio, omnes superare putet. Sed, ne haec una, in tota hac pro-  
 lusione, iniuria videatur, cuius veniam haud facile impetrem, probe notes, quaeso, ipsum *Basedouinum*, pro modestia sibi insita, valde conqueri, se *inde ab anno MDCCLXXIV. linguam latinam, per XX. annos adeo neglectam, ut vix elocutu (non latinum, dictu) facillima recte et expedite eloqueretur, exercitiis (latinius, exercitationibus) vel tironi molestissimis, in quantum (deleatur in) potuerit, conatum esse recuperare. Sapienti sat!*

His copiosius et fufius, quam animus fuit, tractatis, spero, fore, ut *Basedouius*, ob faciliorem, quam fabulatur, disciplinam, vel potius linguarum doctarum negligentiam, nemine repugnante et resistente, *magister* agnoscat et creetur *barbariae*. Detestor impudentissimam audaciam, qua de assensu Virorum meritissi-



ritissimorum gloriatur, qui tamen eiusmodi conatibus semper resisterunt, et interrogati: *formidolosus* ipsis sit *Basedovius*, an *amabilis*? ridentes responderent, *neutrum*. Omnes eius exclamations et gratulationes de temporibus fortunatoribus, quibus iuvenes *plenis haustibus educuros* (non latinum hoc significatu, *bibituros*, vel *sumpturos*) *sperat genuinam* (melius, *germanam*) *Romanorum sapientiam*, *venis lubentissime intumescens*, *eiusdem nectaris quotidie sitientiores*, non minori commiseratione animique dolore legi, quam errorem, quo pag. X. impressum legitur: *coeptis Basedovii aevum esse aduentaturum*, quo *adolescentes usum discant linguae*, *ex Latio (Latii) fonte per rivus manantis HAVD QUIDEM PVRISSIMOS*.



SPECI-






## SPECIMEN POSTERIVS.

**P**raeter assiduam et diligentem cum Graecorum, tum Romanorum lectionem, qua, cum venerandae illi antiquitatis auctores, iique soli, in rebus humanis vere et exquisite mente concipiendis, et in iis, quae cogitauerint, eleganter et venuste exprimendis, accuratissimi sint, maxima aetatis scholasticae pars iure continetur, doctrinarum quoque cognitioni optimus quisque scholae magister aditum concedendum putat. Sed maxima cautione, et quasi verecundia quadam, ne, id quod facile accidere potest, plus detrimenti, quam commodi, afferant, ad illas tractandas progrediendum videtur. Inficeti enim et cecuti ingenii esset, pueris prima mentis caligine adhuc obuolutis, linguarumque elementis nutriendis, disciplinas tradere, et magis mihi ridiculum esset, *Aristotelem*, inter pueros elementarios, res arduas subtiliter tractantem, quam *Aesopum*, in puerorum turba nubicibus ludentem, cernere. Natura in tribuendis animi dotibus aetati puerili eas largita est, quae doctrinarum percipiendarum grauitati haud pares, discendis vero linguis aptissimae sunt, ita, ut, altiora illi si tradideris, quam pro mentis imbecillitate comprehendi possint, non solum ipsi naturae repugnes, et omnia faciendo nihil facias, sed





sed etiam ea consulto dataque opera negligas,  
 quibus compensandis aetas prouectior remissa ni-  
 mis, et, propter impatientiam, parum dedita  
 est. Neque omnes disciplinae, omni dilectu et  
 discrimine sublato, sunt admittendae. Praeter  
 religionis sanctissimae institutionem, quae, li-  
 cet breuior, minusque diffusa, quam in scholis  
 academicis, exquisita tamen, animisque com-  
 mouendis idonea sit, vniuersae historiae, geogra-  
 phiae, antiquitatum graecarum et romanarum,  
 logices, rhetorices, poeseos, artisque criticae  
 et matheos (magnum multarum scholarum de-  
 siderium!) elementorum, cognitio in ludis ma-  
 gna sollertia atque assiduitate est comparanda.  
 Reliquarum omnium, quocumque nomine infi-  
 gniantur atque splendeant, et vel ipsius philoso-  
 phiae praecepta, e scholis propulsa, in vitam  
 academicam transferuntur. Ipse magister sit  
 philosophus, si sapientiae fontes, exponendis  
 auctoribus classicis, aperit, si de iis, quos omnis  
 aetas elegantissimos putauit, iudicat, si illis imi-  
 tandis discipulorum ingenia adsuefacit, si deni-  
 que virtutis admirationem et atnorem, vitii fa-  
 ctorumque improborum indignationem et odium  
 inspirat, discipulus vero, philosophiae studio,  
 imberbis sit philosophus, vt aliquando fiat infans  
 barbatus. Finis, quem disciplina scholae, tra-  
 dendis doctrinis, propositum habet, hic est, vt,  
 quantum aetatis iuuenilis vires patiantur, mentis  
 culturam adiuuet, eiusque tenebris dissipatis, ve-  
 nustus saporem excitet, excitatumque augeat,  
 ad




ad quem consequendum sufficiunt doctrinae singulae iam nominatae. Sed fere alienum videtur, me de doctrinis altioribus, in scholas recipiendis, illarumque constituendis limitibus, tam amplum, tamque copiosum fuisse: haec potius quaestio est, qua ratione in scholis sint tractandae? Linguarum studium, quod nemo liquido negabit, sic institui atque dirigi potest, et debet, ut discipuli non in solis vocibus et formis loquendi, quae sint tenendae, quae reiiciendae, sed etiam, ut, pro multo maiori latiorique humanitatis fundo, in rebus et sententiis, quae ad aliquam partem doctrinae scholasticae vitamque humanam pertineant, explicandis occupentur. Per multum certe mentis emendandae, sensusque pulchritudinis augendi interest, qua ratione praeceptor in legendis auctoribus classicis utatur. Quod si omnia, quae in illis cum altioribus disciplinis coniunctiora deprehendantur, studiose explicat, si causas praeceptorum interioresque recessus perquirat, si discipulos subinde interrogat, an afficiantur, si ipsis iudicium permittit, an, quod sentiant, verum honestumque censeant, si denique iuvenes pulchritudinis gustu imbuat, quaerendo, an ordo, copia et ornatus adsit, an ipsis placeat, tunc iuvenes quasi verae humanitatis cibo alit, h. e. mentem illorum acuit, firmat, et roborat, sensumque leporis sic nutrit, auget, et inculcat, ut existat elegantia et venustas quaedam, per totam vitam fusa. Nihil tamen mi-

C

nus





nus ipsae artes, ex quarum fontibus haec omnia, et plura eiusmodi, hauriantur, si continente, neque disrupta serie tractantur, multo frequentiorum occasionem praebent, iudicii a corruptelarum sordibus purgandi, omniumque rerum pulchrarum intelligentiae fingendae, ut nihil dicam de ipsa cognitione, quae arctissimo illo artis cuiusdam doctrinarum vinculo, et quasi mutua conglutinatione, multo clarior, firmior et exquisitior redditur, quam si, subinde insperfae, et velut extra domicilium peregrinantes, et exules, colligantur. Hinc compendiorum, quae dicuntur, usum iuuenilis aetatis necessitati concedendum, facilis iudicem. Licet enim non veram doctrinae scientiam, angustis limitibus inclusam, comprehendant, iisque modo sufficiant, qui secordiae dediti de augenda eruditione non laborant, tironibus tamen, quia praecipua complectuntur, quibus in vniuersa doctrina intendendus sit animus, et quia memoriae adiuuandae profunt, multum utilitatis conciliant. Modo haec praeceptor caueat, ne copiosus in tradendis disciplinis sit, alias nimium temporis linguis discendis subripiet, neque ieiunus sit, quia institutio, macie quadam et tabe laborans, plus obest, quam prodest.

Quae omnia non eo consilio praemonui, ut scholarum magistris ostenderem, qua via in docendis disciplinis incedere debeant. Hoc arrogantis,



gantis, et paedagogico fastu tumidi atque tur-  
gidi, non mei, animi esset. Admiranda potius  
BASEDOVII mei, *Panidis* suffragio digni Obe-  
lisco, sapientia, quae coelo, nescio quo, de-  
lapsa, in tradendis quoque doctrinis, longe fa-  
ciliorem institutionis scholasticae rationem inue-  
nit, hanc praefatiunculam, qua omnibus *Cos-  
mopolitis* commendaretur, huic Specimini prae-  
muniendam efflagitavit. Nescio, cuius inso-  
mnia admonitu inductus, anxio gemitu, ciula-  
tuque miserabili vociferetur: *equidem humani  
generis occupatus* (desideratur praepositio in) *ne-  
gotiis sum!* (*ἕως ἄλλος Ἡεραλῆς*, quem Deus  
a Christianis auertat!) *scholarum situs pulueru-  
lentus iacet per secula* (antiquius saecula) *inmotus!*  
*in quo qui spiritum ducunt* (hae sint mihi for-  
micae, quia pulvis dicebatur immotus) *virique  
iuvenesque* (copula *que*, sic posita, redolet poesin)  
*cerebro* (*cerebrum* pro mente, est vox poetica,  
vel argentea, et pulvis non tam menti, quam  
pectori, grauis est,) *languent!* *Sanae rationis of-  
ficina tenaci obducta est in crustamento* (elegans vox,  
quam BASEDOVIUS meus ipse fecit) *quo* (so-  
loecismus, per quod) *non permeet nec bonum, nec  
verum.* *Phtisi* (vox peregrina) *tabescit animo-  
rum et fiducia et mutua caritas in ipsis adeo  
vernantibus* (poetice) *annis.* *Heu!* *quam fre-  
quentes conspicio adolescentes* (maximae impu-  
dentiae calumnia) *horis quotidie execrandis incul-  
cata cum* (deleatur cum) *plagis verba repetentes*



legati diuini (iocus scurrilis) vel viri sapientis, (nusquam, nisi in persona graui Curatoris Philanthropii Dessauensi) quo eadem nec (asper concurfus) intelligant, nec venerentur, a pugnis aliquando vindicati magistrorum! — Vos, scholae, fisto reas! vestram tueamini causam! a vobis dico lacerari humanam naturam, animorumque nervos, viriū aetate necessarios, non firmari, sed debilitari, atque intercidi! scientiae, (vox, hoc in numero, nuper iam castigata) quarum apud nos et inchoatur, et absoluitur disciplina, nullis exceptis, omnes omnino sunt — non venient in scholas philosophicas, nisi communia generis humani iudicia — erunt merito suo nihil Ontologia, Cosmologia, Psychologia, a priori deducta — cauebitur, ne disciplina moralis, ut assolet, verbosus scateat rerum vulgo notissimarum definitionibus, neque aliis utatur principiis, quam humanae naturae societatisque felicitate — coarctabitur logica, et rhetorica scholastica, eliminatis (praeter Varro- nem et Horatium nemo, archaisinus est) vocabulis technicis horridis, — habebuntur historica nimis generalia pro inanibus, specialiora (non optima latinitas, peculiariora) pro incertis, certa vero pariter ac (atque) incerta et ficta, modo sint innoxia iucunditate (ut tabulae feminae parturientis) et monitoriis (vox barbara) exemplis plena, pro bonis — legentur tantum poetica, ne poetarum (ex officina vocum Bafedoniāna) tanta sit copia — verum annon ante annos repperasco? ---


Sane



Sane repuerascis, BASEDOVI, aut, portentosa scientiae ostentatione existimationi hominum te venditas, et impudentissima iactantia non nisi magna crepas, quid? quod maxime temeraria intelligentiae simulatione vituperas, quorum cognitio, vt deinde euentissime tibi comprobabo, tui ingenii vires longe multumque superat. Haec tamen in transitu (pro tua latinitate, vt abs te intelligar, *obiter*) sint dicta — noli irasci, *hac dextra* eandem tibi promitto postea modestiam, cui nuper studui!

Promissa enim sunt seruanda. Hinc, KREBSII CELEBERRIMI (cuius excellenti disciplinae, vt gratissimo animo fateor, omnem literarum humaniorum amorem debeo) *Vanno critica in inanes paleas operis elementaris Basedouiani* ad maiorem veritatis tuendae ardorem inflammatus, in praesenti mecum constitui, ad alteram rationum, pro comprobanda *Basedouii* barbaria, formam progredi, ad illas nimirum, quae ex inconsulta, frigida atque ieiuna doctrinarum pertractatione sunt desumptae. Beniuolentia, qua prius specimen meum arbitri aequi, vt speraueram, excusarunt, confidere me iubet, eosdem prolusionis illius continuationem pari assensu esse excepturos.





Ingenium humanum a labore proclive est ad ignavia. Hinc non est, quod miremur, a BASEDOVIO severa lege sanciri, ut in doctrinis non minus, quam in linguis, per omnia aetate ambulemus. Omnia, quocumque oculi incidant, multo faciliori eius disciplina rident, eiusque opera unius aut alterius anni angustiis totum philosophiae, rhetorices, historiae, aliarumque artium studium est conclusum. Felicissima, aureisque praestantiora, tempora, quae nostrae aetati sunt reservata! quantum est, quod BASEDOVIO immortalis debeamus! Quamvis vero multo graviora adhuc, ad Philanthropium suum exteris commendandum, facta repraesentatione, literis publicis inferenda promulgandaque curet, mihi tamen persuasissimum est, eum, doctrinarum quoque ratione habita, *stupendae barbariae felicissimum esse instauratorem.* Quod primum omnium exinde probat, quia, immaturis rerum studiis, suae disciplinae et fidei, commissos a linguis discendis auocat. Profecto, quoad longissime potest mens mea memoriam rerum ultimam respicere, inde usque repetens, neminem sapientissimorum ad suscipiendam ingrediendamque literarum rationem principum extitisse, inuenio, qui contenderet, initium institutionis, linguis posthabitis, a doctrinis et disciplinis esse capiendum. Omnibus cum Quinctiliano, I, 4. optimo iuuentutis instituendae magistro, conuenit, *primum in eo puero,*



puero, qui legendi scribendique adeptus sit facultatem, Grammaticis esse locum, et, si quid video, tam puerorum, quam iuuenum, commodis saluberrime consuluisse, putandi sunt. Nam, ut ab eo incipiam, quod, sine vlla inhumanitatis specie, negandum videtur, quis credat, pueros, in concedendis ingenii viribus, naturam expertos esse tam benignam, ut ipsis, praeter memoriae felicitatem, et scintillulas quasdam iudicii, largiretur quidquam? *memoria*, inquit Quinctilianus, I, I. *prope sola est, quae in pueris iuuari cura docentium possit.* Dicit vix potest, quam facilis, agilitate sua, succurrat vocibus, et regulis grammaticis discendis, earumque ieiunitati, quae, adultiori aetate, multo maiori taedio maiori que tarditate tractantur. Hac igitur memoriae exercendae opportunitate viuendum est, haec vrgenda est occasio, et omnia sunt suscipienda, ut memoria magis conualescat! Iudicium, quantum pro exigua teneberrimae huius aetatis mensura fieri potest, indagandis regularum causis, et deducendis vocum significationibus, maxime translatis, acui limari que potest, qui vero, hoc exercendo, memoriam, longe praestantio rem pueritiae facultatem, negligit, is dignus est, quem auitae mulierculae rideant, quarum nulla tam nihil intelligit, ut credat, ingenium vires suas ante maturitatem exferere (pro BASEDOVIANA latinitate, *intellectum venire ante annos*). Equidem non






eo progredior, vt negem, tales filiolos vel subtilissimas, interiorisque doctrinae cuiusdam indolis quaestiones et responsiones, memoriae sic posse infigere, infixasque tam fideliter tenere, vt quavis occasione, in admirationem omnium, qui furo et specie facile decipiantur, memoriter enarrare queant, hoc vero, quod caput omnis institutionis est, nunquam concedam, eosdem puerulos tanta perspicacia, tantoque iudicii acumine, huius conditionis quaestiones percipere, vt integre, distincte, et exquisite illas intellexisse censerem mereantur. Ridiculum est, quod non nisi adolescentiae vel virilis aetatis robore suscipi potest, id humeris iuuenilibus, vel puero-rum, imponere, et, quicquid, resistente et reluctante natura, fit, non solum frustra, sed etiam periculose, suscipitur. Sed largiar, quod nunquam concedendum puto, pueros tanto iudicandi facultatis acumine tantaque ingenii praestantia et sagacitate excellere, vt difficultates, cum doctrinarum percipiendarum cognitione necessario coniunctas, non sentiant, sed animi attentione non interrupta, quae pueritiae sane non est, superent, nihilo tamen minus nunquam ad partes illius transibo, qui conducere arbitretur, pueros, primis ineuntis aetatis annis, artium superiorum cognitione imbui. Argumentorum, quibus impediatur, quo minus facilius atque mollior sim, magna, mihi saltem, vis esse videtur, prudentiores iudicent, iure illis quid tribuam,

an



an non. Alterum est, quia in literis graecis et latinis adhuc rudes sunt. Quamquam enim nemo hac opinione tenetur, ut ipsis vocabulis graecis et latinis, eorumque sono, puerorum ingenia ad disciplinas praeparari, aptioraque reddi, credit; nam, qui hoc contendere velit, is mihi multo adhuc felicioris sit ingenii, quam DRVSIVS in explicanda forma literarum hebraicarum: hoc tamen certissime persuasum habeo, omnes, quanto peritiores antiquitatis linguarum, lectionisque auctorum classicorum amantiores sint, tanto feliciori progressu artibus sublimioribus poliri. Res enim, quas literarum monumentis consignatas posteritatis memoriae magni hi viri reliquerunt, et exercitatio illa in examinandis rebus grammaticis, maxime vero studium regularum, ad scribendum accommodandarum, habent, nescio quam lenem et iucundam ingeniorum puerilium agitationem, quae sensim maturitatem adiuuat, quaeque, si fuerit intermissa, hoc detrimenti affert, ut, quodcunque discipuli perceperint, perspicue, eleganter, venuste, et ornate verbis exprimere nequeant. Alterum vero argumentum, quo permotus, etiamsi pueri doctrinarum grauitatem vincant, institutionem ab illis incipiendam dissuadeo, ab illarum illecebris est desumptum. Quaestiones, et res, quae ad philosophiam aliamque disciplinarum pertinent, ut quaelibet grauior est, ita maiora habet inuitamenta apud pueros et iuvenes,





venes, partim propter iactatam grauitatem, partim ob arrogantiam et temeritatem iudicandi, ad quam pueritia et iuuentus valde procliuus est. Maxima igitur auiditate et fame quadam impulsu, *verba rerum*, non *res ipsas*, tales infelicissimae institutionis alumni arripiunt, magno sibi honori ducentes, se inter philosophos, quasi in quatuordecim, sedere. Quid inde? his doctrinis relictis, si ad formas nominum et verborum, ad obseruationes Grammaticorum, qui omnes fere syllabas, singulasque literas, quasi trutina, perpendunt, progredi conlueris, his pusillis et minutis fastidium excitas. Pueruli tui acris et exacti iudicii, non *Priscianum*, *Donatum*, *Seruium*, aliosque, (multo minus *Aristarchi* similes) sed *Platonem*, *Aristotelem*, *Leibnitium*, et qui sint reliqui, nominari cupiunt, et, quia nemo illorum se *κακοςόμαχον* putat, hinc multo solidiores cibos concoquendos postulant. *Egregie sane!* nonne salubrius est, morem maiorum, qui in vniuersum multo minoris apud nos religionis est, quam apud Graecos et Romanos, in pueris formandis receptum retinere, eosque non prius ad interiorem doctrinarum consuetudinem admittere, quam linguis familiariter sint vsi? immaturis rerum studiis quantum detrimenti capit ipsa eruditio! si nemo est, qui neget, ex caliginosissimis barbariae tenebris verae eruditionis lucem hominibus tunc temporis coepisse affulgere, cum linguarum et  
 humani-



humanitatis studium ex obliuione et puluere  
esset protractum, quis dubitet, quin stupor et  
infortia, si pueri et iuuenes a linguis tractandis  
auocentur, sensim redire conetur? linguarum,  
earumque doctarum, cultura abiecta, si litera-  
rum humaniorum splendor obscuratus later, ve-  
ra eruditio sic agitata concutitur, vt pristina bar-  
baria breui, *decem*, vel, ad summum, *viginti* an-  
nis praeteritis, veteres possessiones vt recipiat,  
necesse sit. Videasigitur, quanta sint BASEDO-  
VII mei merita! inde ab anno *sexto* aetatis vn-  
diq̄ue conuocat, colligit, et conscribit discipu-  
los, et institutio eius, vt ex ipso supra audiui-  
mus, non solum *statim* inchoatur doctrinarum  
cognitione, sed etiam multo insolentiori, quam  
ferri possit, arrogancia, hanc peruersam, in-  
consultam, absouam, et pestiferam disciplinae  
rationem, pleno ore, praeconis instar, omni-  
bus tantopere commendat, vt omnem pudorem  
exuisse videatur. Nam nisi tales philosophiae  
Professores sibi finxerit, qualis ipse *Altonauiae*  
fuit, vbi *linguam latinam adeo neglexit, vt vix*  
*elocutu* (pro elegantia, nuper iam laudata) *facil-*  
*lima recte et expedite eloqueretur*, certe plus con-  
cupiuit, quam, vt risum, naso adunco, capta-  
ret, dicendo, suos quinque annorum *filios*  
*mellitulos* longe exquisitiorem naturae animi,  
eiusque cum corpore coniunctionis cogniti-  
onem tenere, quam Academicarum doctores.  
Dolendum est, BASEDOVIUM iuris intelligen-  
tiae




tiae praecepta non tradere: sic enim puerulos suos, festine odorantes, *Assessores* etiam offerre posset *Scabinis*! Nihil est dementius, immodico aestimatore sui operumque suorum, maiora qui iactat, quam, aut per se, aut ab ipso, sint praestanda, eum, si prudentioribus, et rei indolem, et virium suarum mensuram diligentissime considerantibus, annumerari exigit, animi causa, ut mihi deligam, liceat. Sumas tibi filiolum quinque annorum, et exponas illi notionem **BASEDOVIANAM**: *impetus naturalis, corporis, corpusculorum minorum, entium simplicium, in quae tanquam in prima et ultima elementa resolui debent composita, entis propria existentia praediti*, et quae sint eiusmodi, legas cum illo regulas **BASEDOVII** *de cultura animi et morum*, aut subtilitates illas, quarum ope, differens *de diuinitate*, verum *Sophistam* agit, quid his omnibus, et innumeris aliis, expedies? puer, si de *incolis lunae* iam audiuit, stupore abreptus, te ex illa delapsus putabit, praeterea que nihil. A linguis, **BASEDOVI**, incipias, ne, quod nuper in examine tuo publico (de quo plura videbis infra,) praeter multorum spem opinionemque accidit, pupilli tui **WOLKIO** pererudito, dicenti quidem: *nunc quem facere volo*, sed asinum linearum descriptione exprimenti, acclament: *ah! non est avis, est asinus, habet duos aures, et caudam!* Sed, ne stomachum tibi faciam, modestiamque violem, tu ipse



ipse egregie ignarus es doctae antiquitatis linguarum, quod ex miserabili tua latine scribendi ratione, contemptu linguæ graecae, et brevuario librorum Sacrorum foederis prioris, omnibus, qui tuis partibus non sint addicti, luculenter apparet, hinc clamas: *penes me rerum copia est, reliqui scholarum magistri nil nisi verba habent! Redde.* Quod ipse non intelligis, in eo scientiae vicariam assumas arrogantiam, et esto *magister barbariae!* — *Repuerascis!*

Sed quamvis tantus vir linguarum elegantiam, externum tantum et adscitum eruditionis ornatum, negligat, et in parando ingeniorum pastu non eiusdem munditiei rationem habeat, quae in apponendis cibus, quibus crassum et pingue corpus alitur, haud negligenter curatur, tamen, si modo rerum ipsarum tam sollicitè conquisita, tam accurata, tamque late diffusa et patente cognitione gaudet, ut neque ipse incertus ubique locorum vagetur, neque institutione plus obsit, quam profit, non sine fructu scholas aperit. Periculosissimum enim est, magistrum, praestantiae laudibus iactantem, sequi, qui vero eiusdem artis, quam profitetur, exquisita et plena intelligentia est destitutus. Ipse non solum, anxia imbecillitatis et ignorantiae conscientia agitatus, trepidat, et titubat,






titubatur, angoreque quodam sic constringitur, ut facile confundatur, sed discipuli etiam, qui, praeter eum, cuius responsionibus sciendi cupiditati satisfaciunt, neminem habent, aut mentis coecitate laborantes, omnes errores eius et praecipuas opiniones fidelissime arripiunt, aut, eius inscitia inuestigata atque detecta, contentus signa edunt, saltem fiduciam deponunt. Quibus igitur suffragiis admitteremus BASEDOVIUM meum, *doctorem philosophiae, artis oratoriae, et historiae?* ego si TAVBMANNVS, in vitam restitutus, essem, et tu, BASEDOVI, esses PAREVS, dicerem: *heu, PAREV, tu sine ulla exceptione repulsam fers, hac admonitione, ut ipse prius discas, quae tradere velis.* Quae cum non mea, sed TAVBMANNI sit sententia, non est, quod agrestem et illiberalem me putes, qui, paganus, ob morum rusticitatem, viri, in tam alto famae gradu collocati, gloriae quid detrahere studeat. Legas, quaeso, TAVBMANNI PLAVTVM, et videbis, ut Rhetores loquuntur, orationis probabilitatem. Ego tamen, pace tua, mi BASEDOVI, stans dicam sequentia: diuidenda est sententia, rogetur primum: *estne BASEDOVIUS philosophus, hoc nomine dignus?* ego contra statuo. *Berolinensis* bibliothecae Critici, quorum laboribus, in campo humanitatis, certe tantum laudis quilibet impertitur, qui, quantum



tum prudentissimis debeat, cognoverit, ad BASEDOVIVM suum, quae de philosopho quodam iudicarunt, accommodari non inique ferent. Philosophi nomine, inquit, dignissimo, si nostra aetate, tot sapientiae radiis collustrata, quilibet levis, inopia cognitionis depressus, in se ipso sua ponens omnia, nulli disciplinae addictus, inanique loquendi profluentia garrulus, qui omne, quod hominibus sanctum et venerandum sit, impudentia ferocissima, saevionum more, sugillatione conspurcat, insigniri exornarique debet, si illi competit, qui de rebus philosophicis transverse et oblique, more vetularum, fabulatur, qui subinde quidem nonnullas, easque utiles, observationunculas inspergit, sed artis, ex observationibus singulis uniuersarum enunciationum deducendarum, et notionum in simplicissimas et primas partes resolueendarum, egregie rudis atque expertus est, tunc sit mihi — philosophus summi ordinis, praestansque omnibus. BASEDOVII capilli, in philosophorum sedilibus, mihi pari ratione comiti, madentesque cincinnorum simbriae videntur. Queritur, cum tamen nostra aetate studium philosophiae Aristotelicorum Scholasticorumque spinis atque dumetis iam dudum purgatum sit de insipida tenuitatis siccitate, suauitatemque a condimentis deliderat. Hinc reiecit omnes *notiones*, quia in iis perspicacia frustra quaeratur, ridet *illarum dissolutionem*, quia nugis et crepundiis puerilibus sit annumeranda, contemnit *enunciationes*  
cogita-





*cogitatione recisas*, quia inutiles plenaeque diffen-  
 sionis sunt, quarum prauo vsu facile decipiatur,  
 qui in formulam quandam coeco impetu iurare  
 consueuerit, et omnia cognitionis humanae *prin-*  
*cipia*, extra omnem dubitationem inter doctos  
 posita, *principium repugnantiae*, et *rationis suffi-*  
*cientis*, ioco atque ludibrio habet, quia improvi-  
 di et insipientes minus recte iis vsi sint. Permul-  
 ta essent, quae, si refutare tam absurda iam a-  
 nimus esset, errores hominis in promptu ponerent.  
 Non negarim, *notiones*, a vitae vsu ac sensibus  
 nimis remotas, ad res agendas *difficiliter* transfer-  
 ri, illas *tironibus*, praeter notiones communes,  
 esse scitu superuacuas, et *plebi*, quae vel in rebus  
 singulis, quas schola concretas vocat, hallucinatur,  
 esse obscuras, hoc tamen dixerim, qui artis pe-  
 ritior esse velit, eum scire debere, nos, sine his  
 nugis, quas vocet BASEDOVIUS, de grauissi-  
 marum doctrinarum certitudine laborare, proba-  
 rim BASEDOVII notionem libertatis, et demon-  
 strationem existentiae Dei, *principio rationis suf-*  
*ficientis* niti, eiusque *determinissimum*, quem vocat,  
 non solum hoc principio fulciri, sed etiam falsis  
 complexionibus aeque aptum esse. Sed quid  
 opus est? ipse BASEDOVIUS ad sensum inscitiae  
 suae iam adeo obduruisse multis videtur, vt non  
 pauci animo eius callum obductum credant, et  
 ex his, quae attuli, iam satis luculenter apparet,  
*eum non esse philosophum*. Rogatur porro: *Estne*  
 BASEDOVIUS *acutus rhetor*? ego longe alium  
 cenleo.




cenſeo. Locus ille *Ciceronis*, qui in Oratore legitur: *indocti et expertes artis plerumque verius et rectius de eloquentia iudicant, quam docti*, ſi, pro contexta orationis ferie, talem vim haberet, vt ad *BASEDOVIVM* transferri poſſet, multum commendationis haberet. Illi vero accidit, quod, *Ciceronis* ſententia, doctis accidere ſolet, vt de ſenſu peſtoris incorrupto non iudicet, quod tamen plerumque de indoctis dici poteſt, ſed vt faſtum et quaſſum in conſilium adhibeat. Miſerrima quidem eſt praefens eloquentiae conditio, vel potius eorum, qui eius praeceptis alios imbuere geſtiunt. Graeci et Romani rhetoricam ſcholas frequentarunt, aetate iam firmata, qui vero noſtris temporibus lectionibus rhetoricis interſunt? multa tamen reperiuntur, quibus vel hodiernus eloquentiae magiſter iis iuuenibus, qui non ſolis praeceptis ſolique inſtitutioni, ſed ingenii bonitati et lectionis diligentiae plurimum tribuunt, vere prodeſſe poſſit. *BASEDOVIUS* vero quid ſibi inter *rhetores* velit, non video. Nam vt nihil de peruerſa praeceptorum eius, quae deinde iudicanda proponam, indole et ratione decerpam, ſi verum eſt, eloquentiam, eamque veram, ſine verborum delectu, ornaſu atque copia, non eſſe, ſimpliciter, et ſine vllis limitibus, omni tamen modestia, contendo, *BASEDOVIVM* meliorem *obmutefcendi et ſilentii*, quam *dicendi et orationis*, magiſtrum eſſe. Nonne tam horrida, impura, ſordida, aſpera, grauis et a politiorum

D

conſue-






consuetudine remota est eius scribendi ratio, ut, quo elegantius et venustius tu cogitata exprimere, verbaque intelligere didiceris, eo magis in optatis habeas, ut, in scribendo, similis fiat **BASEDOVIVS** pictoribus Aelianis, qui has inscriptiones picturis apposuisse leguntur: *hic taurus est, haec arbor?* Cicero in Orat. 3. Philippica: *nonne satius est, mutum esse, quam, quod nemo intelligat, dicere?* Rogatur denique: *estne BASEDOVIVS historicus fide dignus ac simplex?* ego vero et hic dissentio. Cicero enim rursus in oratore, *verborum, inquit, ratio et genus orationis fustum atque trahum, et cum lenitate quadam aequabili profluens profsequendum est.* Dicet quis: **BASEDOVIVS** nunquam historiam, literarum monumentis scriptam, componet, quid igitur impedit, quo minus, in barbariei fordibus et squalore, historiae peritissimus sit? at vero haec mihi non videtur defensio, est potius prouentus ingenii, quod incultu et secordia torpescit. **BASEDOVII** enim scribendi ratio, barbarisimis et soloecismis, iisque innumeris, referta, satis superque comprobat, eum lectioni auctorum classicorum parum consecrassse temporis. Quomodo fieri posset, ut, illorum familiaritate usus, tam *hebetis*, tamque *obtus* ingenii in illis imitandis esset? qui vero, horum diuinorum antiquitatis scriptorum studio abiecto, cultum atque nutrimentum ingenii neglexit, ex quibusnam fontibus hausit historiae cognitionem? humanitatis disciplina nonne veros et puros historiae fontes aperit?



aperit? unde antiquitatum graecatum et romanarum notitia est petenda? et quid dicam de artibus criticis, quae plurimum ad historiae scientiam conferunt? nonne illarum seueritas sola exercitatione et assiduitate in legendis scriptoribus graecis et latinis frangitur atque superatur? videas igitur, ex detestabili, et ad nullam elegantiae vrbانيتatisque regulam formata **BASEDOVII** scribendi ratione necessaria quadam conclusione duci, eum *historiae quoque ineptissimum, maximeque expertem esse magistrum*. Quibus simul sumtis, quid est, quod, pro comprobanda **BASEDOVII doctrina, rerumque philosophicarum, artis oratoriae et historiae** cognitione, eaque *accurata et vera*, proferas? quod si ea demum exquisita dicitur eruditio, quae non res quasque temere arripit, sed, quae certas, optimoque ordine digestas, tenet, quae disciplinae, quam profitetur, leges tam cognitae sibi reddit, vt omnia, quaecunque sint, ad illas referre atque exigere possit, quae denique non e lutulentis riullis, sed ex ipsis fontibus, ducitur, ego certe de *accurata BASEDOVII eruditione dubius atque anceps haereo*. *Exeas igitur, sic dicerem, si TAVBMANNVS essem, exeas, Pareu, e scholis! omnes magistri, verae salutis inuentutis consulentes, ne detrimenti quid capiant sedes religionis, optimarumque artium sanctissimae, te illas relinquere iubent! minime obscura ignorantiae relinquis vestigio, tu ipse non calles ea, quae docere conaris. Hinc philosophiam, quam bene vestitam e tenebris*





*in conspectum hominum te producturum, arroganter promissisti, squalida, lugubri pullaque toga tecliam, in densissimam caliginem detrudis, eloquentiam, artem illam diuinam, quae animis hominum dominatur, cuique tanta est oblectatio, ut nihil hominum aut auribus, aut mentibus, iucundius percipi possit, e folio deiectam, omni ornatu et dignitate priuas, historiam denique, testem temporum, lucem veritatis, vitam memoriae, magistram vitae nuntiamque vetustatis, puris fontibus eius aut praclusis, aut veneno infectis, exsiccas, corrumpis et deprauas, verbo, in bonae Minervae pectore sicam defigis, barbarus es, et optimus barbariae magister! — Repuerascis!*

Noli mihi subirasce, BASEDOVI, amor iuuentutis in scholis publicis instituendae, non tam postulat, quam exigit feruorem, neque ego sum TAVEMANNVS, ne tu vnquam eris PAREVS. Quid mihi cum TAVEMANNO? ne quaeras, gloriae tuae peperci, modestiaeque consului, alias P. BURMANNVM in vitam reuocassem, qui, nosline eum? certe haec dixisset: *Qui in tantae grauitatis negotio, quantae nobis liberorum educatio, qua spes patriae et posteritatis nititur, semper visa est, videtur, et videbitur, portentosa arrogantia, omnique pudore amisso, ex in commodis publicis sua comparat commoda, qui vera disciplinae scholasticae emolumenta impedit, et praepostera institutionis ratione scholis detrimentum, non facile reparandum, importat, qui scholas religionis sanctissimae cultu, humanitatisque elegantissimae*  
cogni-




cognitione fundatas, manu violenta, conquassat et labefaciat, qui denique inani eruditionis ostentatione, et magno ignorantiae spiritu inflatus, omnibus scholarum magistris palmam praeripuisse iactat, istum, qui coli, istum, qui reuerenter haberi desiderat, eum ego P. BURMANNVS sane non iniquissimum modo, sed plane indignum humanitatis nomine iudico — PETRE! ne quid nimis, nostrae aetati tu difficilior es, redeas ad umbras, molli-ter ossa cubent!

Perpendamus nunc ipsa praecepta, quibus discipulos continet BASEDOVIVS, ut nihil praetermissum videatur, quo eius, in doctrinis, barbaria conspicua reddatur, atque reprehendatur. Ego tamen iis tantum infisto, quibus in talibus disciplinis utitur, quas ad perfectam et absolutam scholarum institutionem sufficere, existimo. Ordiamur igitur ab arte cogitandi. Magne ARISTOTELES, quam bene tibi est, quod non amplius inter viuos numeraris! poeniteret te indefessi studii et ingentis laboris, quo, e dialogorum ambagibus, rationis culturam ad disciplinae habitum formamque redegisti, BASEDOVIVS te conuinceret, te nihil aliud, nisi *nugas*, tractasse! *Notiones* acutissimus hic veri falsique Censor, ut iam dictum est, reiicit, tametsi augent et amplificanc cognitionem nostram, tametsi distinctam pariunt notitiam, tametsi veritas certa et explorata illis plurimum debet. Quae omnia ne sine ratione

D 3

prae-





praedicasse videar, haec tantum breuissime proferre liceat. Perceptiones rerum singularium, vnius tantum rei memoriam seruantes, quam angustos, in cogitando, limites ponunt menti, quae, pro insita sciendi cupiditate, hos terminos, vt plura eodem momento percipiat, semper reluctans, transilire cupit! *Perspiciuitatem* porro, quam **BASEDOVIUS** huic idearum formae plane denegandam censet, ego exinde demonstro, quia in definitionibus, quibus maxima, licet non sola, perspicuitatis vis inest, notae rerum continentur notionibus, et, si credo, *veritatem confirmatam* illis notionibus plurimum debere, hoc nemo negabit, nisi qui falso putet, se ex ideis rerum singularium, certa ratione, posse argumenta deducere. Neque maiori iure *analysin*, siue *dissolutionem notionum* filii iocoque habet **BASEDOVIUS**, quae quidem *filiois* ipsius, nunquam vero *peritioribus*, quia haec exercitatio lumen mentis mirum in modum auget, inutilis erit. Opus vero fuit, vt eam exploderet. Nam qui illam callet, non solum multarum enunciationum, quas profert, fundamentum et consequentiam desiderat, sed etiam ridet, quoties **BASEDOVIUS**, ex infelicissima notionum permixtione, de *meris verbis* atrociter pugnat. Haec de notionibus, progrediamur ad *principia* **BASEDOVII** in *desinendo*. Quam egregia haec sint, exemplis, nonnullis tantum, collustrabo, e. g. notione generis: *illae res ad vnum genus sunt referendae, quibus commune*



*commune nomen est, iusti: illa actio est iusta, quae pacem, amorem et voluptatem non tollit e societate humana, fraudis: fraus est, quae, si nota est omnibus, ignominiam, vel infamiam contrahit, veritatis: veritas est consensus iudiciorum nostrorum cum communibus iudiciorum humanorum regulis, bonae famae: est honor communis omnibus hominibus, qui neque pacem, neque foedus ruperunt — haec hactenus, fatietas me tenet! In doctrina de iudiciis defunt iudicia discursiva, siue dianoetica, quae tamen, vt CELEBERRIMVS HILLERVS, philosophorum recentiorum, eorumque humanitatis studiis limatorum, facile princeps, (quem, patris loco mihi venerandum, nunquam sine maxima animi voluptate nomino) P. I. Curriculi Philosophiae pag. 124. exquisite monuit, viam ad indaganda rationis sanae praecepta parant. In arte concludendi nil, nisi argutas ineptias, videt. Probe sane. Facillima et breuissima est ratio, qua te expedias, dicas modo: *nugae sunt, atque ineptiae, non perpendens, te ineptissimum esse, tantae grauitatis ineptiis si nihil pretii concesseris. Quid igitur commodi affert haec Logica BASEDOVIANA? num eiusmodi praeceptis verae eruditioni consulitur? quae principia explicandorum librorum sacrorum ex illis haurit Theologus? quas notiones rerum diuinarum, et quidem distinctas, formare discit? vnde petet robur demonstrationum pro confirmanda veritate coelesti? quomodo controuersias perspiciet, iisque perspectis, veritatem**





ritatem vindicabit? quantum denique proficiet in eloquentia? *Juris studiosus* quam intelligentiam legum exponendarum sibi comparabit? quanta prudentia suscipiet accommodationem legum ad facta? *Arti* denique *salutari* operam dans, quanta cautione versabitur in colligendis experiētiis? quanta sagacitate inuestigabit causas morborum? nonne igitur omnes superiores artes barbarici for-  
 dibus a BASEDOVIO opplentur? Sed iastat: ego prodesse cupio non solum iuuenibus, qui vitae eruditae se dare constituerunt, sed illis etiam, qui, literarum studia non profecturi, aliam honeste viuendi rationem elegerunt. At vero cur manifesta Logices tractandae peruersitate permittit, futuris literarum cultoribus multas bonas horas perire, longe vtilioribus rebus, quas nunquam pro veterē et iuutili supellectili contemnent, consecrandas? cur illorum discipulorum, qui aetatem in literis non agent, naturalem illam mentis agitationem sic deprauat atque corrumpit, vt nullo vsu, nullaque exercitatione polita videatur? Iam, quid de placitis BASEDOVII in *arte dicendi* existimandum sit, ostendam. Quo diutius in ingeniiis tractandis versor, eo certius cognosco, quanto plus ingenii facilitate, lectione veterum, salubriter instituta, et exercitatione, iudicio et assiduitate boni magistri gubernata, in eloquentiae comparandae studio proficiatur, tanto minoris, quam vulgo putetur, pretii atque valoris esse praecpta, quae percipiendae huic arti inseruire creduntur.



duntur. Iuvenes quidem hac opinione ducuntur, se, eloquentiae praeceptis fideliter memoriae insculptis atque infixis, ipsam artem, perspicue, ornate et copiose dicendi, eamque integram, esse consecutos, sed, quemadmodum musices peritissimum putabunt eum, qui non solum numeros partesque mensurare, sed etiam vocem, manumve illis accommodare sciat, sic suavor illis sim, ut verum putent, quod **SOCRATES** apud *Xenophontem* dicit: *in omni re minimum est in studio audiendi, maximum et summum in cura et solertia exercendi.* Sed audiamus oratorem ipsum, *Ciceronem* de Orat. II, 57. *observatio quaedam est earum rerum, quae in dicendo valent, habes artem oratoriam, quae si eloquentes facere posset, quis esset non eloquens?* Hoc vero negari non potest, in qualibet arte, ne incerti vagemur, opus esse regulis atque praeceptis, iisque, si rectam viam et inveniendi et iudicandi, ostendant, in eloquentia excolenda, magnam vim esse tribuendam. **BASEDOVI** vero praeceptis, quia, grauioribus rebus omissis, in pusillis et vere minutis omne posuit, iuuenum ingenia potius *corrumpi*, quam *emendari*, iudico. Primum enim vehementer errat in eo, quod *Rhetoricam* et *Logicam* doctrinam putat eandem. Mutuo quidem, eoque arctissimo, hae artes constringuntur vinculo, *Logices* enim vsus tam late patet, ut nulla ars, quae ad humanitatem pertineat, deprehendatur, quae multum illi se debere, neget, permagna tamen *Dialecticam*




inter atque *Rhetoricam*, intercedit differentia. Quamquam enim ad definiendum, iudicandum, argumentandum, et ordinem inuentorum instruendum, *Dialectica* oratorum indigere concedo, quia in his omnibus, illius ope destitutus, parum est, quod praestet, habent tamen, ut quilibet rei peritior iam dudum cognouit, haec omnia suum modum. Amplificationis enim et exaggerationis ornatu vestita, ab oratore sic proponuntur, ut parum similitudinis restet, et, verbo ut omnia dicam, *Logica* docet, *perspicue* et *vere* dicere, *Rhetorica* vero *ornate* et *copiose*, ut ZENONE auctore, differant, sicut manus contracta ab expansa. Ex hoc igitur, eoque maxime peruerso, BASEDOVII principio, facili negotio pretium omnium praeceptorum, quae in *arte dicendi* tradit, statui potest. Ad *inventionem* quod attinet, omnia omisit, quorum maxima est in exornando, amplificando, omninoque in eloquentia, utilitas, hinc, illum si in modo argumentorum tractandorum magistrum sequi constitueris, valde siccus et tenuis eris, in refutando leuis atque imbecillis, ad delectandum lentus ac paene frigidus, et ad commouendum ineptissimus. De *elocutione*, cuius praeslantia tanta est, ut, licet res admodum bene subtiliterque excogitatae, et in ordinem, materiae convenientissimum, digestae sint, tamen, nisi eleganter, venuste, ornate et copiose eloqui didiceris, oratoris nomine haud dignus sis, de hac, inquam, non opus est, ut multa dicam. Innumera



mera sane, credas mihi non iurato, si lubet, col-  
 ligere potes, e scriptis BASEDOVII, exempla vi-  
 tiosae, barbarae, soloecae peregrinae, inaequa-  
 lis, vilis, asperae atque hiulcae scribendi ratio-  
 nis, et ex iis, quae subinde attuli, luce clarius est,  
 eum ne minimum quidem de virtutibus elocutio-  
 nis nosse. Num igitur iniustus et inhumanus cen-  
 seri mereor, BASEDOVII in arte dicendi prae-  
 scriptis, si vel tenuissimum pretium denego? *Artem*  
*dicendi, si a potui discesseris, aptissimam puto illi ex-*  
*ercitationi, quae in excitando et augendo sensu*  
*pulchritudinis versatur, quaque omissa, totius vitae*  
*et eruditionis in omnibus rebus, nescio quae, defor-*  
*mitas consequitur. Cuius saporis, quem vocamus,*  
*culturam cum plane negligat, et barbaria, inimica*  
*rebus pulchris, obruat atque supprimat, quis est,*  
*qui partium studii eo progrediatur, ut oratoria*  
 BASEDOVII *praecepta magni aestimanda prae-*  
*dicet? Cicero de Finib. IV, 7. scripsit artem rhe-*  
*toricam Cleanthes, sed sic, ut, si quis obmutescere*  
*concupierit, nihil aliud legere debeat. Age, re-*  
*stant decreta BASEDOVII in tradenda historia.*  
 Tria hic sunt argumenta, quibus utilitas illorum  
 valde minuitur, primumque cernitur in eo, quod  
*veterem historiam tantum tractat, eamque solam*  
 in scholis colendam suadet. Omnia hic silentio  
 praeteribo, quae de cautione sint dicenda, qua  
 diuisio historiae, in *antiquam et recentiore*, est  
 instituenda, quae quidem ob magnas illas com-  
 mutationes, quibus haec partes historiae a se di-  
 stinguun-






stinguuntur, firmissimo fundamento nititur, fa-  
 cili vero, et iniqua ratione, accommodari potest.  
 Hoc tantum dicam, non bene consuli iuuentuti  
 instituendae, aliam, alia, si salubriorem putes.  
 Sunt nonnulli, qui recentioris memoriae histo-  
 riam, ob constantem et frequentiore[m] vtilitatem,  
 diuitias argumenti, et suauitatem, veteris histo-  
 riae monumentis, in scholis, praefendam cen-  
 seant, sed non perpendunt, illam ad augendam  
 perspicaciam et certitudinem, ex veteris historiae  
 documentis esse repetendam. Nouae historiae  
 scientia carere non possumus, sed nisi coniuncta  
 est cum antiquitatis studio, haud pauca illi desunt,  
 quae fidem postulent. Neque sanior est opinio  
 illorum, qui pristinatorum tantum temporum me-  
 moriam in scholis, renouandam suadent. Arti-  
 um quidem plurimarum, legum ciuilium, varia-  
 rum imperii formarum, et populorum origo ex  
 illa potest deriuari, si a sequentium temporum  
 cognitione separatur, mutila, manca, nec satis  
 vtilis est. Multa scire potest, quorum exitus la-  
 tet, notitiamque regnorum, quae iam dudum  
 interierunt, tibi comparas, hodiernorum, et ip-  
 sius patriae, status et conditionis expers es, vt  
 praeteritae aetati, non praesenti, viuere videaris.  
 Vniuersae igitur historiae studium scholis certe sa-  
 luberrimum, disciplinaeque consilio conuenientis-  
 simum puto. Quamquam enim, vt quaelibet ars,  
 multa adhuc habet vitia, quae certe nunquam,  
 varias ob causas, omnino emendari possunt,  
 haec



haec tamen commoda, inter multa alia, affert, ut, quia res notatu dignissimas tantum attingit, memoriae subleuandae inseruiat, ut euentuum generis humani conditionem, vno quasi adpectu, cognoscendam proponat, et velocitate quadam, eaque incundissima, per omnia tempora animum ducat, maxime vero, ut graduum, ad quos hominum emendatio qualibet aetate ascenderit, cognitionem adiuet. Alterum argumentum, quo, praecipis BASEDOVII historicis omnem opportunitatem reculendam esse, probato, versatur in eo, quod *rerum eiusdem aetatis vinculum rumpit*. Verbis vix exprimi potest, quantum perspicuitati consulatur, si res, eodem temporis spatio inclusae, serie continente tractentur. Nam, ut breuitati studeam, pressius agendum est, eiusmodi res gestae, aut arctissime inuicem sunt coniunctae, aut mutuam sibi lucem afferunt. Vinculo igitur illarum perfecto atque diuulso, variae aetates commiscuntur, nonnulla tantum ex vnaquaque memoriae mandantur, ratio atque ordo euentuum, se excipientium, obscuratur, et omnis cognitio historica redditur inutilis, ut nil dicam de memoria, cui, ex hac aetatum confusione, magna oritur difficultas. Ex *quibusnam* denique *libris* historiam tradendam putat BASEDOVIUS? ex *solis auctoribus classicis*, idque non ex ipsis, sed ex *Chrestomathis*, de quarum perniciosa et pestifera indole in priori specimine diximus. Quis vero doctiorum a familiaritate  
scripto-






scriptorum antiquitatis tantopere remotus, aut partium studiis abreptus est, quin fateatur, multos in *rebus historicis*, maxime contra *scientiam computandi temporis*, a viris illis, alias praestantissimis, commissos esse errores, quia recentioribus historiae scriptoribus, facta comparatione, sint emendati? neminem porro tantae facilitatis puto, ut CASTELLIONIS librorum sacrorum interpretationi, saepissime ob Hebraeorum, Graecorumque dicendi formas, ne satis eleganti quidem, locum inter auctores, qui in scholis sint legendi, insignem concedat, et, qui SULPICIVM SEVERVM, AVRELIVM VICTOREM, IVSTINVM atque FLORVM, primae institutioni, viles atque conuenientes censer, is in dilectu ordinando, sapientiae, toties iactatae, minus consuluisse videtur. Haec de pretio decretorum BASEDOVII in tractandis *rebus historicis*. Multa adhuc habeo, quae aduersus illum moneam, maxime, quod ad exercitationem *poeseos*, et *artis criticae*, cum nonnullis saltem discipulorum, priuatim, instituendam, attinet, quarum alterum in scholis perniciosissimam et superuacaneam, alteram vero ne dignam quidem putauit, quam in artes scholasticas referret, Quoniam vero fines, tali prolusioni constitutos, me iam transisse, video, haec sufficiant.

Quae omnia cum sic se habeant, BASEDOVII, quid est, quo a suspitione *barbariae* reuocatae te liberet? omnia sane, quae dicis et scribis, ut P. BURMANNVS dicebat, ex insigni



signi ignorantia, friuola et feroci iactantia suf-  
 fulta, proficiscuntur, digna, quae a peritiori-  
 bus rei scholasticae, nugis et inanibus puero-  
 rum delectamentis annumerentur. Nam par-  
 tim ob non condonandam *linguarum doctorum*  
 negligentiam, partim ob inconsultam, frigi-  
 dam atque ieiunam *doctrinarum disciplinam*,  
 primum inter eos tibi vindicas locum, qui,  
 vera et exquisita eruditione propulsa, de oc-  
 cupandis pristinae *barbariae* sedibus optime me-  
 reantur. Nil restat, quam vt veniam mihi  
 expetam, pauca tantum de nuperrima, eaque  
 maxime solemni, et perhonorifica *Philanthro-  
 pii tui consecratione* dicendi, vt habeas, cuius  
 testimonio laudes, quas literis publicis, *pecu-  
 nia numerata*, infertas legi, confirmentur.  
 De *nonnullorum* eruditorum praesentia, iure  
 tibi gratulor, mihi aliisque nunquam contigit,  
 neque continget, esse tam felicibus, vt de  
*talium* frequentia, in nostris examinibus scho-  
 lasticis, gloriemur. Exceptos hospitio, tam  
 opipare apparato, et conuiujs tanta opulen-  
 tia et delectatione conditis, certissime tibi per-  
 suades, DESSAVIAM, urbem amoenissi-  
 mam, semper esse praedicaturos. Ipsum ve-  
 ro *experimentum*, cui nemo, *publica* aucto-  
 ritate legatus, interfuit, quodque per omnes  
*ternos* dies vix *binas* horas durauit, eo maiori  
 honori tibi ducendum est, quo expeditiores  
*pueruli* tui, tabulis feminae parturientis pro-  
 positus,





positis, omnes quaestiones, tanta prudentia  
tantaque diligentia soluerunt, ut obstetrices vel  
peritissimas longe multumque superarent. Ita-  
que hoc tantum doleo, quod discipuli tui, in  
subducendis summis, iisque vel *maximis*, a  
WOLKIO tuo in tabula affixa praescriptis, prom-  
ptissimi, interrogati ab auditorum quodam, quot  
imperiales, conficiantur *uno et quinquaginta* assli-  
bus, ignorantia inopinata, suspicionem experi-  
menti *compositi et dolosi* prudentioribus prae-  
buerunt, et quod tu — vir tam conspicui no-  
minis — primo die — multa nocte — ne  
videatur argumentum ab inuidia! Vale —  
respondere, si vis, liceat, sed lingua latina.





152759

ULB Halle

3

005 301 254



Sb.

R









B.I.G.

Black  
3/Color  
White  
Magenta  
Red  
Yellow  
Green  
Cyan  
Blue

Farbkarte #13

Inches  
Centimetres  
1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 8

*Fenneliff*

CAROLI HENRICI SINTENIS  
*Lycei Torgauensis Rectoris*

CASTIGATIO CRITICA  
ELEMENTORVM  
BARBARIAE  
BASEDOVIANAE.



LIPSIAE,  
APVD FRID. GOTTH. JACOBÆER  
1777.

